

Thesi II. quam sic illustravit p. m. 791. Verba Institutionis Sacramentalis sensu proprio intelligenda sunt, probatur hoc Matth. XXVI. 28. Hic est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Ubi observa 1.) quod dicatur hoc Sacramentum, Testamentum, in Testamento autem non discedendum à Litera & proprietate verborum, sed eidem maximopere est inhaerendum. Quod confirmatur ex Galat. III. 15. Unde patet, quod Apostolus inhaereat verbis Testamenti, Abrahamo facti. Unde argumentum: Si ne quidem in humano Testamento discedendum est a litera, multò minus in Testamento Christi, imprimis, ubi aliunde constare non potest de voluntate Testatoris Christi, quàm ex verbis Testamenti propriis. Item si Apostolus in unica etiam Syllaba mysterium ingens quaesivit, (quod dixerit, non in seminibus, sed in semine) utique etiam religio nobis esse debet à τῷ πρῶτῳ Testamenti Christi recedere. Verum prius. Ergo & posterius. (2.) Quod Sacramentum Novum hic sanciat. Unde argumentum: Verba quae continent Novum Sacramentum & Novum Institutum cultus divini, in illis non est discedendum à verborum proprietate, alias nulla erit certitudo; Talis hac est Institutio. Ergo. Confirmationis ergo adducimus Analogiam aliorum Sacramentorum. Ita in Sacramento circumcisionis Gen. XVII. & Agni Paschalis Exod. XII. strictè litera erat inhaerendum, etiam in Sacramento Baptismi in N. T. Matth. XXIX. 19. (3.) Novitatem hujus Mysterii, in quo nisi litera retineatur, nihil omnino certi de eo constare nobis potest (4.) in universum omnes articuli fidei ita comparati sunt, ut in propria sede omnino insistendum sit proprietati verborum (5.) Regulam generalem hermeneuticam, non esse discedendum à proprietate verborum, nisi cogat necessitas, & absurditas inferatur. Quamquam autem adversarii absurditatem inferant, distinguimus tamen inter id, quod à τῷ πρῶτῳ rationi nostrae & quod tale est fidei aut revelationi divinae. (6.) Urgemus, quod admissis tropis adversariorum innumera varietates explicationum redundant, ubi modo in subjecto, modo in predicato, modo in verbo est, modo in verbis manducate & bibite tropos ponunt, adeò ut Claudius de Saintes LXXXIV. tropos numeraverit. Vid. Stereoma contra Bergium: Addideris cum fructu: Hn. D. Mart. Lutheri und Hn. Casp. Calværii ganz ungleiche Lehrern von der Vereinigung

nigung